

que amavistis, non ut dimidium animæ vestræ, sicut ille, nescio quis, sed sicut totum animæ vestræ, quemque semper quavis laude majorem putastis. Hunc si properata mors admississet, heu qui malus dolor pectora vestra pervaderet. Quid modo? Non minus, scio, doleretis; nisi quod vivus, magis quam mortuus, sperare facit. Non vos autem solos, (quam nullorum magis, quam vestra interest,) verum etiam hos, qui foris sunt, dolor iste vehementer compunxit: etiam Præsulem nostrum *Bertoldum*. Hic rem gestam ubi didicit, nostrum *Bertramum* parvitatemque meam convocavit, ac illum abdicationis causam dicere iussit. Qua cognita non sane eam ratam, verum irritam declaravit; abdicationem ipsam, haud factam Canonicè, injussu suo seque non consulto, nil solidi, nil momenti, virtutis nil habere. Deinde hortatus est multo sermone, petiitque, immo iussit atque imperavit, ut, quam dimiserat Abbatiam, recipiat; vosque oratos facit, recipere illum. Per semet accedere ad vos voluisse, ni vos gravare veritus esset. Hæc me vestra Dilectioni dicere voluit. Tum assurgens *Prior* cunctorum nomine amplissimas gratias egit. Tum incredibile dictum est, quantum exultavimus, exorto insperato gaudio, vetere exterminato mœrore.

Quem de improvise amiseramus, de improvise quoque recepimus. Vertitur haud longo post tempore inter Jureconsultos grandis quaestio: Ratane sit ejusmodi abdicatio nec ne? quibusdam quidem dicentibus sic: aliis vero non. Veriti tamen, & Episcopus ipse, & nonnulli inter eruditos amicorum nostrorum, nequid in posterum detrimenti emergeret, certa que dubiis stabiliora credentes: uti novam de more electionem celebraremus, suadebant.

Neque falso suspicati sunt. Nam quidam, (non ignotus est,) perinde ac esset absque Abbate Monasterium nostrum, in Romana Curia impetravit, ut ajunt, in Commendam. Qui cum Romam ad nos pergeret, jam satis Bertramo functo, *Henningo*que successore, morbo tactus in ipso itinere periit.

Obtemperamus bene consultantibus. Nova electio facta: *Bertramus* secundò Abbas creatus. Non diu postea vitium. Ante quatuordecim plus minusve mortis dies in Ecclesiam cum ædituo ibat. Venit ad sepulcrum *Lippoldi*, quem exsculptum in lapide sine Episcopali mitra, custodem quamprimum coronare iussit. Pergunt duo pariter. Ubi in mediam Ecclesiam ventum, sistit gradum *Bertramus*, atque digito extenso locum ostendens: Hæc requies mea, inquit, sepelite me hic, postquam mortuus fuero. Sepultus est in eodem loco. In, cujus morte, (prætereo inferiores) terrarum Principes illacrymaverunt.

XXXIV.

DE
ORIGINEMONASTERII MONTIS S. MARIE
PROPE HELMSTEDE NARRATIO

Ex MSto.

Mons est in Saxonia, quem sibi præelegit virgo Maria in fronte Helmestaden-
sis civitatis, ad occidentem situs, ac sanctissimo virginum conventu insignitus: olim neglectus, sed nunc præclaro cœnobio & signis præditus, & à diversis peregrinis optimè cognitus, qui olim patuit armentis; sed tamen, ubi monasterii structura est, nunquam destercoratur pecudum purgamentis. Qui locus lumine cœlico visibiliter crebrius illustratur, cujus frequentiam civis, rusticus, advena, incola miratur, & tria spatiosis rimis, quod non poterat oculis annotari lupinis: nec poterat exinde crescere ambiguitas, ubi tam frequens & lucibilis visa est claritas. Et sicut Jesus Mariæ filius non sapientes, sed rusticanos homines elegit Apostolos, per quos sanctam ecclesiam ædificaret: Sic mater & filia virgo Maria per humiles rusticos, non per doctos clericos elucidans sibi subegit, quia justum erat, ut humilitatis imitaretur exemplum; quæ in humilitate magna, angelò nunciante, Dei suscepit filium.

Quæritur itaque, quis sit fundator ecclesiæ? Respondendum, summi Principis miracula & Mariæ, quam dotavit largius Rex gloriæ, quorum auribus omni pio audibilibus virgines devotæ cantus instillant mellifluos, ut post mortem in Angelorum choros recipiantur dulcifonos.

Nunc

Nunc ad montis præfati redeamus humillima & miraculosa instituta: Ne sit posteris sopore lethæo abolita & sepulta. Adhuc civitas Helmstedensis in rebus transitoriis & aggere valdè humilis & quasi ad terram depressa, limosa, quæ per accessum peregrinorum facta est famosa, quæ nunc locuples videtur & ab hostibus invincibilis, cujus cives signis excitati multimodis virginem imaginariam de suo altari sumunt, & ad locum sæpè notatum currunt, mensam lineamento tectam ponunt, imaginem inferunt, solenniter offerentes. Innovant festum, ligneam in Wörmstede emunt capellam, ac opere incepto duos humiles justos provisores devotos instituunt, qui omni fidelitate tanquam procuratores providi commisso præfunt, quorum nomina humilitatis causa scriptis me non piguit articulare, ut discant posterii locum ex humilitate conditum amare. Unus *Ottierec* appellatur: alter *Fradericus Faber* nuncupatur. Isti fuerunt sanctæ Mariæ primi provisores: ut per hos veniretur ad procuratores doctiores.

Modò tendamus ad virginis miranda signa, quæ facta sunt in pede ejusdem montis, ad quam bona matrona unicam misit filiam causa hauriendi aquam, quâ intrante, clausa est fovea, eò, quod nec lapide, nec plateis fuerit vallata, & sic filia obruta. Factus est matri ploratus, ingens ejulatus. Cives confestim accurrunt, post mortuam fodiunt, matrem Mariam invocante, cujus fletus auditur, & per evidentiam signi exauditur. Nam lumine oculorum celo injecto aëreo, vidit Domini Majestatem & virginem Mariam ex opposito cum exercitu virginum ad pedes ejus provolutam pro mortua supplicantem. Post tempus diutinum, id est post diem dimidium illa effoditur & benè viva reperitur, quâ visâ, mater exhilaratur & filia à circumstantibus interrogatur: *Quis tibi tam mirativè dedit vivere, cum seclusa fueris ab aëre?* Refert puella: Ante me stetit venustissima domicella, manu tenens pallium, refocillans aërem meum vultum. Tunc à populo jucundè canitur & ecclesia inthronizatur, virginum chorus lætè jubilat, Mariam adjutricem mirabilem laudat. O subfannator modò volo te concludere auctoralis conclusionem: syllogizans dicis: aër est ubique: dico definitive, non tamen in obtusione, quia nec aër potitur spiramine in angulo, nisi fuerit exitus & introitus intercisio; cista enim habet inclusum angulum attamen occidit. Nescis infelix, quia simplicitas devotionis ducit ad cælum, & damnosa syllogizatio in abyssum, quia quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Nunquam fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Credat ergo devotus, quod non vult credere varicosus. [Sequebantur in MSto plura alia miracula, quæ tanquam à nostro scopo aliena omisimus.]

Anno Domini MCLXXVI. *Wulframus Abbas monasteriorum Werdingensis & Helmstedensis*, fundator fuit & constructor ecclesie S. Mariæ in monte propè Helmstede pro regulari vita Canoniarum S. Augustini Episcopi. Sic legitur in quodam diplomate sive privilegio Werdingensi. Anno Domini 1230 *Gerhardus Abbas Werdingensis & Helmstedensis* unâ cum *Friderico Præposito Montis Mariæ propè Helmstede* constituit & ordinavit certum numerum Monialium perpetuè sine defectu & augmentatione Dominarum, scilicet virgines quadraginta, quinque sacerdotes sive clericos, & quatuor conversas. Hæc excerpta ex literis Werdingensibus.



Pictura in monasterio Marienbergensi propè Helmstedt.

Anno Domini 1255. Sereniff. Rom. Rex <i>Wilhelmus</i> præ- fens monasterium visitavit & sublimi- ter privilegiavit.	Anno Domini 1256. Dominica Misericordias Dom. <i>Wolrad</i> E- piscopus Hal- berst. mona- sterium perso- naliter confir- mavit.	Anno Dom. 1170. funda- tum est mona- sterium in monte B. Vir- ginis prope Helmsted.	Hæc est pri- mæ visionis ap- paritio funda- tionis hujus monasterii.	Fredericus Fabri & Otto fuerunt pri- mi fundatores.
Monasterii hu- jus foundationis, & miraculorum Dei & B. Virginis ope- ratio.	Hic ædifica- tur nova ec- clesia hujus monasterii.	Peregrini di- cunt: Wy willen söeken Mari- en Hues, dat se in allen Nöden helpe uns.	Maria ad la- trones peregri- nos invadere volentes: Wer foike gy vyff Böfewich- ten.	Latrones: All unse Mey- nung ist de Men- schen gans toh ver- nichten.
Cives hujus civita- tis dicebant: Wy willen nah Goddess Hulden streven, Unde uns alle tydt in Marien Gnade geven.	Captivus Hundesberch: O Moder der Gnaden, kume meck toh hülp in mynen Nö- den.	Maria: Ghatho Meyg- deborg vro- lyk, Koep daer ei- ne Crüle un- brink myk.	Captivus: Woll my der leven Stunde, Van Marien bin eck ent- bunden.	In reportatione Crucis Clcrus pro- cessionaliter ad cœ- nobium veniens cantabat unanimi- ter: O Crux, ave spes, O Crux gloriosa, O Crux adoranda, O lignum pretio- dum & adorand- dum.
Captivus Hinricus malè habens. Maria ad ipsum:	Hinrick gah Bedevardt nah Helmstedt in dat Brunswy- kesche Land.	Captivus: De Stadt is meck all unbe- kand.	Gregorius, Cœ- cardinalis & dinem mona- sterii confirmave- runt, privilegi- mis indulgenti-	lestinus, Hugo complures alii or- dinem mona- sterii confirmave- runt, & maxi- is dotaverunt.
Miraculum de cu- jusdam matronæ filia in fovea pute- ali submersa.	Alius Hinri- cus in periculo mortis consti- tutus dicebat:	O Moder in der Ewycheit sy an myn gro- te Herteleyth.	Periclitans in mari dicebat:	Ick dancke dyk Mo- der Godes, Ick bin genesen des Dodes.

Anno

Anno Domini MCC XCI. Cübbeling donatur Monti Mariae.

Per viscera misericordiae suae Dominus nos visitavit, dum egregiae matris suae gloriosae virginis Mariae merita longè latèque per orbem terrarum declaravit: ac fideles suos variis tribulationibus oppressos pià consolatione eripuit. Ad amplificanda namque gloriosae matris suae merita Dominus ab alto caelorum humilia prospiciens, & alta à longè cognoscens elegit sibi quendam locum, parvum videlicet oppidum *Cübbeling* nuncupatum; sed tamen per Dei magnalia & per gloriosae genitricis suae miracula jam satis famosum & cognitum. Anno igitur incarnationis Dominicae MCCXCI. in praedicta villa per gloriosam virginem Mariam talis est revelatio facta. Erat ibi vir quidam bonae opinionis, nomine *Alberius Ryseberg*, qui dum quodam tempore, dum vacaret ab opere, in platea sub quadam tilia se prostravit, ut, lassae membra modicò sopore relevaret, ei beata virgo adstitit, dicens: Ne timeas, serve Dei: ne putes te phanasmata videre: ecce coram Te adstat vera mater Dei, scias ergò hunc locum mihi esse electum, & à dilecto filio meo specialiter quasi in propriam possessionem mihi deputatum. Et hoc tibi signum: Sunt venturi quidam mercatores gratiosam imaginem trans Rhenum deferentes, quae huc deferatur & in isto loco deponatur, ut ab omni populo honoretur. Quò dictò, ab oculis ejus evanuit. Itaque expergefactus homo praedictam visionem praesimplicitate animi dissimulavit, usque dum iterum haec ei beata virgo revelavit. Unde admiratus & divino roboramine confortatus quendam convicaneum suum adiit nomine Albertum ultra aquam, & praefatam rem indicans, & suum consilium super hoc inquirens. Inde ipse gavisus latè divina promissa recipiens eum fideliter admonuit, ut idoneum & peritum Dominum Plebanum in *Sceppenstide* adiret, ut ipse, instante tempore gratiae omnia ordinatè disponderet. Ut autem praedictus Dominus sacerdos divinam revelationem intellexit, laetus efficitur, suamque promotionem promptà voluntate pollicetur. Evolutis autem paucis diebus, cum instaret solennitas apostolorum Petri & Pauli, factus est concursus populi in *regali Luttere*, ut est consuetudinis usque ad praesens. Factum est autem, ut praetati duo viri cum suis concivibus illuc properarent festivitatis gratia invitante. Cumque intrassent hospitium, contigit praefatum Albertum Ryseberg pro negotiis adire forum, & prospiciens à longe, vidit mercatores quosdam venientes & gratiosam imaginem secum deferentes. Unde nimium exhilaratus accessit propius, & beatam virginem voce cordis & oris invocabat, dicens: O regina gloriae, ô fons pietatis & gratiae, si tu es illa, quae mihi peccatori es repromissa, fac ut haec gratiosa imago cum salute deferatur ad locum tibi praeroptatum. Tunc diversis negotiis praetermissis, velociter socium advocat, eumque in partem accipiens familiariter sibi intulit, dicens: quid nunc opinaris, frater? adest regina caeli, volens complere vota promissionis suae. Quò auditò, vehementer obstupuit, & cum eo ad locum properavit. Quid plura? imago Dei genitricis ibidem perfolvitur, & ab eisdem mercatoribus cum gaudio in *Cübbeling* deducitur, sicque in praenotato loco, in quo prima visio facta est cum magna reverentia ponitur, ibique usque hodiè permanere cernitur. Tunc plebanus de *Sceppenstide* cum suis parochialibus adveniens beatae virgini devotissimas concinebat laudes, admonens populum fidelium, ut devotè tantam patronam suscipiant tanquam totius regionis Dominam & defensoricem veram, perpetuam. Post haec devotus Domini sacerdos sanò consilio usus ad illustrem Principem, Dominum videlicet Albertum, Ducem *Brunsvicensem* properabat, & ei rem gestam per ordinem indicabat, obsecrans, ut in veneratione reginae caeli loci libertatem suamque promissionem conferret promotionem. Quod ille libenter audiens votis supplicantis assensum praebuit.

Verum ne hujusmodi revelatio ac divini beneplaciti dispositio simplicitati inexpertorum adscriberetur, & in longa tempora futura parvipenderetur, deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, & genitrici filii sui dictum locum *Cübbeling* altiori suo consilio deputatum taliter aperire dignatus est. Contigit eodem tempore illustrem Principem *Brunsvicensem* Albertum Ducem nocte S. Marci Evangelistae incurere incurabilem infirmitatem, & gravi morbo lethali fatigari, unde turbati nimium universi tam notabiles quam vulgares totius regionis consciscunt medicos: diriguntur nuncii hinc inde longis terrarum spatiis, consiliis, auxiliis, antidotis perquirendis, cumque nil proficerent, invalescente morbo continuè, & de salute corporis omnes desperarent, Deus, à quo omnis sanitas & omne medicamentum venit, qui pia vota dignatur intueri, ad honorem suae genitricis ipsum mirabiliter curare disposuit. Adveniente namque nocte sanctorum martyrum, Johannis & Pauli, adstitit Domino Duci Alberto visibiliter Dei genitrix gloriosa, desolatorum spes, lapsorum revelatrix, habitu decente, ipsum alloquens, & an se cognosceret? requisivit. Ne dubites, neque paveas, sed veraciter scito me esse matrem illius, quem caeci & claudi accesserunt plurimi, qui circuiens Judaeam & pertransiens curabat ubique. Si dictis meis obtemperare volueris, mei interventu ab ipso recipies sanitatem. Ob id saepe dictus dominus Dux Albertus ultra modum stupens & gaudens in Domino, confidenter spondet illicò omnia quaecunque voluit, se facturum. Locum inquit meae venerationi elegi tuae ditioni subjectum dictum *Cübbeling*, quem si libertate donaveris, & cultum meum ibidem ampliaveris, me medicam tuae infirmitatis subito senties, & Advocaticem totius regionis, & hoc tibi signum: tertio die inferetur iconia ibidem in mei memoriam

reliquenda. His diebus disparuit. Unde factum est, quod levius sensit, & de die in diem usque ad perfectam sanitatem convaluit. Et quemadmodum in cæco nato a Domino transiente per viam curato, ut omnipotens Deus manifestaretur in illo, cæcitas sibi contigit, ita in illo cæpit gloriosa genitricis ejus magnificari magnalia. Nam ut dictum est, postquam venerabilis hæc iconia illuc allata fuisset, sæpe dictus Dominus Plebanus in Sceppenstede unâ cum concivibus suis quibusdam fide dignis, nec non Alberto, cui primò revelatio facta est, maturò super hoc habito consilio, sæpe dictum illustrem Principem, *Ducem Albertum* adiit, & ei rem gestam per ordinem enarravit, obsecrans ut in veneratione Reginae cæli suam daret promotionem. Quod ille libenter annuens loci libertatem contulit & eidem Dei genitrici oratorium illuc fieri ordinavit. Reversus itaque præfatus Domini sacerdos provisos beatae virginis instanter admonuit, ut prætermisissis laboribus propriis obsequio Dominae nostræ se manciparent; at illi arripientes arma piæ devotionis & bonæ voluntatis prædictam tiliam per medium secuerunt, & imagini beatae virginis quasi sedem aptissimam coaptaverunt. Post hæc apportantes ligna & ferramenta parvam cellam erexerunt, quam & *Clausam* nominaverunt, ibique Reginam cæli quasi sub vili tugurio recluserunt. Hujus rei testis est ipsa beata virgo, quæ in prædicto oppido in sua gratia operatur mirabilia magna. Et quamvis hæc præclara maris stella tunc ibi lateret reclusa; mirabiliter tamen clarescebat in nova gratia, per miranda pietatis suæ opera; nam in villa *Sceppenstide* tunc temporis morabatur vir quidam bonæ opinionis, *Johannes de Swanenvelde* dictus, qui bonâ fide agens domesticam curam, multo tempore ibidem permanfit. Huic quidam æmuli insistentes de acquisitis rebus sibi invadebant, ac fraudulentè eum circumvenire proponebant. Unde factum est, ut diabolicâ suggestionè jam audaciores facti vehementer super eum irruerent, & in proprio hospitiò cum unico filio suo violenter caperent, ligarent & miserabiliter affligerent. Properantes autem ad sylvam nemorosam & condensam invenerunt ibi foveam nimis altam & profundam, quæ est inter castrum *Lagelebe* & villam *Erzem*, ut patet die hodierna. Ibi ergò hos miseros durissimè compeditos immerferunt & absque humano solatio in horrore tenebrarum reliquerunt. Nul- lum etiam alimentum præstabant præter aquam & fracmen panis, ut super dolorem vulnerum addendo fame eos interficerent.

Timore tamen coacti seditionem populi timebant, arripientes craticulam de resticulis factam desuper foveam trahebant sarmenta, terram & folia apponentes, ne reperirentur à transeuntibus. Quid agerent miseri, qui erant reclusi, penitus ignorabant, quia omni auxilio destituti erant. Pia tamen Dei genitrix, quæ semper suis adest in periculis, hos miseros piâ miseratione respexit, eosque de laqueo mortis eripuit. Apparebat namque eis veste sacerdotali induta & alte præcincta, pileum altissimum gerens in capite, ut solent villanæ ab ardore solis sic se obumbrantes; quæ benigne eos intuens ait: Exite nunc miseri, respirate captivi, quia dirupta sunt vincula captivitatis vestræ. Illis autem exire non valentibus, panniculum eis fragilem porrigebat, quem illi arripientes gavisi sunt, & per modicum hoc sustentaculum quasi per scalam ascenderunt in altum. Compedes tamen cruribus eorum connexi erunt, sicque beata virgine eos præcedente directò tramite & usque ad *Clausam* propinquabant. Ibi verò benigne eis innuens intrare compulit, sicque ab oculis eorum evanuit. Intranses verò coram imagine beatae virginis devotissime se prosternebant: sicque compedes resoluti in medium proficiebant: qui in hujus rei testimonium ibidem servantur usque in diem hodiernum. Gratuletur ergò plebs fidelis tantò munimine confidens, gratuletur universa fidelium multitudo tanto munita præsidio. Ipsa ergò pia Dei genitrix suos fideles ab omnibus eripiat periculis, & perpetuò sibi congaudere faciat in cælis. Amen.

[Cætera, quæ hic in MSto erant, omisimus.]

Otto Dux Brunsvicensis 1330.

Anno Domini millesimo, tricentesimo tricesimo Dominicâ Oculi *Otto Dux in Brunswick* de consensu omnium hæredum suorum dedit & transiit ecclesiam cum capella in *Cubbeling* cum omnibus earum juribus & appendiciis, quæ sibi tunc & hæredibus suis competunt & in futurum competere poterunt hæredibus suis, purè pro salute animæ suæ ac omnium parentum suorum, conventui monasterii *Montis sanctæ Mariæ* propè muros *Helmstad*, nihil juris aut proprietatis sibi aut hæredibus suis in eisdem, videlicet ecclesia & capella, nec in earum appendiciis nunc & in futurum reservans.


[Sequebantur adhuc duo miracula recentiora, quæ noluimus hic exhibere.]

Seriem Præpositorum Mariebergensium ab A. D. 1181. ad præsens tempus subjicere placuit:

- | | |
|----------------|-------------------------|
| 1. Gotfridus. | 4. Ludolphus. |
| 2. Fridericus. | 5. Conradus. |
| 3. Ulricus. | 6. Henricus de Harbeck. |

7. Jo-

- | | |
|----------------------------|---------------------------------|
| 7. Iohannes. | 24. Ludolphus Sander. |
| 8. Nicolaus. | 25. Luderus Offendorf. |
| 9. Iohannes. | 26. Ludolphus Supplinburgensis. |
| 10. Ludolphus von Destede. | 27. Henricus Iordens. |
| 11. Meinardus Grothe. | 28. Hermannus Koch. |
| 12. Arnoldus. | 29. Henningus Rahtman. |
| 13. Henricus. | 30. Rotgerus Elias. |
| 14. Conradus. | 31. Iohannes Elias. |
| 15. Henricus. | 32. Matthias Bötticher. |
| 16. Bartholdus. | 33. Melchior Reicharts. |
| 17. Fridericus. | 34. Ludovicus von der Focke. |
| 18. Brandanus. | 35. Henricus Bode. |
| 19. Henningus. | 36. Henricus Luders. |
| 20. Henricus Henninges. | 37. Christophorus Schrader. |
| 21. Henricus Müller. | 38. Paulus Heigelius. |
| 22. Henningus Ackermann. | 39. Iohannes Rittmeyerus. |
| 23. Henningus Osterrod. | 40. Hermannus von der Hardt. |



XXXV.

DE

ORIGINE

MONASTERII MARIE FONTIS NARRATIO

Ex MSto.

A Nno Domini MCXC primo tempore *VVichmanni Archiepiscopi* *Magdeburgensis*, cum Dominus, quod ab æterno semper decrevit, voluisset matris suæ gloriam latius spargere, & locum, quem ad hoc elegerat, sic disposuit revelare. Iisdem namque temporibus fuit quidam vir magnæ devotionis, nomine *Conradus* in partibus Alemanix. Hic, cum esset pastorali curæ deditus: quadam vice eum contigit minari gregem ad quendam locum, cui nomen erat *Morbhal*, à vocabulo sui officii, propter latrocinia, quæ ibi quotidie fiebant, nominatum; ubi manifestè vidit visionem, quæ postea probavit rei eventum. Denique & ecce quadam processio virginum gerentes candelas ardentes ut faculæ; procedentes contra arborem quendam, & profundè inclinantes recedebant. Qui cum miraretur, quænam esset hæc visio, & illam frequenter videret, nec intelligeret, decrevit preces fundere ad Deum, qui est revelator secretorum, quatenus dignaretur illi revelare visionem. Unde factum est, ipsum quadam vice raptum in extasi vidisse in spiritu, in loco arboris altare debere construi perpetuo duraturum. Et ut lucidius cognosceret, etiam Deus studuit ei perfectius patefacere mox futura alia, quæ sequuntur. Vidit denique & alia vice in spiritu beatam Mariam virginem gloriosam provolutis genibus, filium suum exorantem, ut ei dignaretur locum præfatum, scilicet *Morbhal* concedere ad honorem & laudem nominis sui, cui benignissimus Dominus & Salvator noster *Iesus Christus* respondit: Non solum, ô veneranda mater, tibi locum istum ad gloriam & laudem nominis tui concedo, sed & me ipsum usque in finem perseveraturum tecum esse promitto. Evolutis autem aliquantulis diebus, cum jam memoratus pastor præstolaretur diem mortis suæ: vocans Presbyterum, dixit ei, nequaquam se posse de hoc mundo exire, donec patefaceret miraculum tam grande sibi demonstratum. Et subjungens ait: Vidi, ecce in nubibus cæli, imago beatæ Mariæ virginis tanquam à throno missa usque in profundum fontis descendit, duosque angelos sanctam crucem super fontem tenentes, tanquam dicerent: Ista interpretatio & visionis demonstratio: quia Deus cum sancta cruce, quam sustinuit pro redemptione generis humani, & cum beata virgine Maria in loco prædicto decrevit habitare. Alia quoque vice contigit, ut in ore duorum vel trium testium consisteret omne verbum, & ut sine aliqua ambiguitate crederetur, aliis pastoribus simile revelatum est. Quadam namque vice contigit, eosdem depascendi gratia ad locum sæpè dictum cum pecoribus devenire; igitur cum aliquam ibi moram facerent, evenit pecora adquare, qua cum ad fontem accederent, territi retrò conversi sunt, tanquam dicerent: Nos non præ-